

militis sui intellectam, in flore juvenilis ætatis eum acerba morte rapuit de præsentis sæculo nequam, et in celesti curia ei contulit veræ dignitatis gloriam. Obiit autem Kalendis Febrarii, (a) ætatis suæ anno fere tricesimo primo, regni vicesimo octavo, ab Incarnatione Domini anno sexcentesimo sexagesimo

(a) Imo ætatis 78, regni 25, ut pote natus sub finem an. 635, mortuus 1 Febr. 663, qui Gemblacensi, annum a Paschate inchoanti, fuit 662, a transitu sancti Martini 266.

A secundo; a transitu sancti Martini ducentesimo sexagesimo tertio. Et qui in multis locis insignia sui monumenta reliquerat, sepeliri eligit in (b) urbe Metis, quæ regni sui sedes fuerat, in basilica, quam ad gloriam et laudem Dei in honore sancti Martini gloriosi confessoris regia liberalitate construxerat.

(b) Potius in confinio Metensi, ut infra in Translatione, non autem prope Parisio, ut Sanmarthani scribitur.

DE SIGEBERTO REGE

ANALECTA EX VARIIS AUCTORIBUS.

(Ex Bolland., tom. I.)

§ 1. Sancti Sigeberti uxor Imnechildis, filius Dagobertus rex Austrasiorum; neptis sancta Irmina, abnepos sanctus Gregorius Ultrajectinus, aliique a sancto Sigeberto, prognati.

1. Uxor sancti Sigeberti fuit Imnechildis, nonnullis Imnechildis, Eumnechildis et Chinéchildis appellata; e qua Dagobertus et forsitan plures liberi prognati sunt. Mortuo sancto Sigeberto, Dagobertus, octo aut decem annos natus, cui jure hæreditario regnum debebatur, factione magnatum, et potissimum Grimoldi majoris domus, pulsus est, atque in clericum, Didonis Pictavensis episcopi consilio, attonsus, in Scotiam, sive Hiberniam insulam directus, proque eo in regnum Austrasiorum intrusus Childebertus filius Grimoldi; quem a sancto Sigeberto in regni hæredem fuisse adoptatum, et Dagobertum defunctum, esse falsus rumor sparserat, uti alibi ex antiquis auctoribus probamus. Imnechildis uxor sancti Sigeberti, abducto in Hiberniam filio videtur Parisios fugisse, opem imploratura contra regni invasorem. Hoc namque pulso, ipsa cum Childerico adolescente Austrasios rexit, cujus regni an. 2 tam Childericus rex, quam Imnechildis regina Parisiacum monasterium in agro Laudunensi sancto Amanodo condonarunt. Ejusdem etiam reginæ Imnechildis consilio traditur Childericus in Alsatia superiore monasterium in valle sancti Gregorii fundasse.

2. Vivebat eo tempore in Anglia sanctus Wilfridus, an. 664 episcopus consecratus, et circa an. 669 toti Northumbriæ prapositus. Hic Dagobertum, ex Hibernia ad se venientem, hospitio excepit, et equis sociisque adjutum in patriam remisit: cui Imnechildis mater in locis magis remotis partem regni procuravit, et inter utrumque regem pacem concordamque fovit. Dagobertus rex constitutus sanctum Wilfridum ad se venientem benigne excepit, multisque precibus saugavit ut provinciam remanentia sua dignaretur, episcopatum Strateburgensem accipiens. Quæ alibi ex Actis sancti Wilfridi deducimus. Dagoberto huic uxorem fuisse Mechtildem Saxonum ducissam colligimus ex Bruschio, in Episcopis Argensibus, in sancto Arbogasto. Ivo Dagobertum regno pulsum cum conjuge sua apud Thuringos habitasse tradit e Chron. Mss. Mathæus Merianus, in topographia archiepisc. Moguntini, agens de Heiligenstadio Eichsfeldiæ urbe primaria, quem locum sua primordia Dagoberto debere aiunt. Quæ etiam in additionibus ad Lambertum Schafnaburgensem a historio editum, pag. 264, de monasterio Erphurli extractio leguntur, ad eundem Dagobertum referenda videntur, et tempus Kygiberti seu Richberti, episcopi Moguntini, probat, sed pro ann. 707 substitutus est an. 677, aut huic vicinus. Ipse autem

B Dagobertus appellatus est rex Germanorum, Francorum, Germanicorum, et Francorum Transrhenanorum, ac præter ditiones trans Rhenum sitas, obtinuit etiam Alsatiam cum urbe Argentoratensi. In hac Alsatia palatium suum Kirchemium aliaque loca monasterio Haselacensi attribuit, cum sanctus Florentius, dein episcopus Argentoratensis, filix ejus visum ac loquelam reddidisset. Varia item a Dagoberto ecclesiæ Argentoratensi et monasteriis Schutterano et Saraburgo, donata sunt, cum filius ejus a sancto Arbogasto, episcopo Argentoratensi, fuisset ad vitam revocatus. Videtur hic Dagoberti filius in arce regio Semburgo, sive Isemburgo, in lucem editus, ac sacro baptismatis fonte renatus, de avi sui nomine Sigebertus appellatus. Hinc temporibus non distinctis, ipse sanctus Sigebertus suscitatus a morte perperam traditur a Bruscho, et Guilliman., de Episc. Argentor., in sancto Arbogasto, atque a Coc., in Dagoberto prævio, c. 15. At resuscitatione omissa, ab apro in venatione ad insulam Rheni Novletensis occisus dicitur a Joan. Isacio Pontano, l. II Hist. Gelricæ; extinctus veneno per Grimoldum a Miræo, in Fast. Belgic., 21 Febr., in elogio Beati Pippini ducis. Veneni suspicionem movent etiam Sanmarth., tom. I Hist. Geneal. reg. Francor., l. v, c. 8. Quæ omnia temporum ac personarum facta distinctione corrumpunt. Reliqua ex Actis sanctorum Arbogasti et Florentii episcoporum Argentoratensium alibi firmamus.

3. Imnechildis uxor sancti Sigeberti, ac hujus Dagoberti mater commorabatur apud Childericum regem, etiam postquam hic Bilichildem uxorem duxerat. Donationes monachis Stabuleans. et Malmundariens. a sancto Sigeberto factas hi tres confirmant. Ipsum diploma infra dandum sic incipit: « Childericus rex Francorum, Imnechildis et Bilichildis gratia Dei reginæ, viris illi-tribus Gundoino duci et Ojoni domestico. » Et hæc ejus clausula: « Ut hæc præceptio nostra in membranis conscripta, firma et inviolabilis perseveret, manu nostra subter eam decrevimus affirmare. Signum gloriosi domni Childerici regis. Signum Imnechildis reginæ. Signum Bilichildis gratia Dei reginæ. Signum Gundoini ducis. Data quando fecit mensis Septemb. dies 6, anno 8 regni domni Childerici regis. Trajecto feliciter. » Annus is est 672. Dein an. 686, mortuo Clotario III, Neustriæ et Burgundiæ reg., Childericus successit, et una regnum Austrasiorum retinuit; in quo Imnechildem reginam aliqua adhuc cum potestate vixisse innotuit in Vita sancti Prajecti episcopi Arvernorum, 25 Jan., ex Ms. Ultraject. edita, ubi, n. 11, ita legitur: « Cum vir Dei Prajectus (in jus ab Hectore comite vocatus) se undique arctatum cognovisset, necessitate compulsus, ita respondit, se causas Ecclesiæ Imnechildæ reginæ ditioni commendatas habere. Causæ

que hanc assertionem cognovissent, imperfectum opus permansit. Beatus igitur Præjectus operis sui laborem, et quomodo per fidejussores venisset exhibitus, tandem deproxit. Rex vero et regina Bilichildis (ita nomen in altera Vita exprimitur) timore percusi, veniam coram omnibus a prædicto episcopo expetunt. Contigerunt ea an. 679, in solemnibus vigiliis Paschæ. Non diu superfuit Childericus, ab insidiatoribus implis cum regina prægnante interfectus, et Rothomagi in basilica sancti Petri sepultus

4. Occiso Childerico, Theodericus a Neustriis Burgundisque ad regnum revocatus est; ab Austrasiis vero Clodoveus quidam, quod Clotarii III crederetur filius, rex constitutus est, sed eo dein rejecto, legitimus regni hæres Dagobertus sancti Sigeberti filius ab optimatibus evocatus, videtur patris regnum, cuius aliqua parte jam pridem potiebatur, ultra oblatum potius accepisse, quam armis, ac vi bellica subegi-se. Hoc novi belli Austrasios inter et Neustrios fomes fuit. Quod bellum ex Vita sanctæ Salabergæ abbatissæ ab auctore cœvo scripta alibi deducimus.

5. Inter illustriora monasteria a sancto Sigeberto extracta, mox dicemus eminere Stabulauum et Malmundarium: quibus donationem a patre suo factam confirmavit Dagobertus jam rex apud Austras. constitutus. Quod diploma ita incipit: «Dagobertus rex Francorum illustris vir. Illud nobis ad stabilitatem regni in Dei nomine provenire confidimus, si facta domni et genitoris nostri Sigeberti quondam regis pro nostris oraculis in Dei nomine firmare deliberamus. Atque ideo vir venerabilis Goduinus, abbas de monasterio Stabulau et Malmundario clementiæ regni nostri suggestit, eo quod Dominus . . . et genitor noster Sigebertus rex. . . per suam præceptionem concessisset.» Integrum diploma alibi damus, et aliis imperatorum tabulis ac constitutione sancti Leonis IX papæ confirmamus. Frisiorum ad fidem conversionem a Dagoberto rege commendatam fuisse ep. Colon. tradit sanctus Bonifacius archiep. in epist. hac de re ad Stephanum papam missa, atque inter illius epistolæ ad Serrarium, n. 97, edita; quam alibi damus et de Dagoberto filio sancti Sigeberti intelligendam esse probamus.

6. Præter filium præcitum sancti Arbogasti a morte suscitatum plures fuerunt Dagoberto filia; inter quas præcipua est sancta Irmina virgo monasterii Horrei apud Treviros prima abbatissa, etiam Fastis Martyrol. Rom. ad 24 Dec. ascripta. Sepulta ea est in monasterio Wissenburgensi munificentia Dagoberti parentis dotata, a quo plura monasteria fundata aut dotata fuisse alibi ostendimus. Altera Dagoberti filia, et sancti Sigeberti neptis est Adela, quæ post mariti obitum, Irminæ sororis exemplo inflammata, monastico item cultu assumpto, vitam sanctissime traduxit, ac monasterio Palatiolo ad Mosellæ fluminis ripam extracto abbatissa præfuit, ejusque ecclesiam bonorum suorum hæredem scripsit, testamento signato Kal. April. anno 42 Theoderici regis, scilicet, ultimi, an. Chr. 731. In eo testamento mentio fit sororis Regentrudis, qua omnia, alii Rathildem, seu Rothildem, tertiam filiam Dagoberti statunt, voluntque nuptam fuisse Luderico Bucano, Castri Insulensis in Gallislandria fundatori. Sed id necium antiquis monumentis probatum reperimus. Id certum est, Albericum dictæ Adela filium plures procreasse liberos, ex quibus sanctus Gregorius individuus sancti Bonifacii ad obitum usque socius, postea Ultrajectinæ sedis vice episcopi præfuit presbyter; cuius vitam scripsit sanctus Ludgerus, ejus discipulus. An ex aliquo fratre sancti Gregorii prognatus sit sanctus Albericus, dein episcopus Ultrajectin. et ab avi nomine ita appellatus, alibi inquirimus. Coluntur sanctus Gregor. 23 Augusti et sanctus Albericus 14 Nov. An qui sanctus Dagobertus martyr colitur apud Sathnacenses in Lotharingia, rex fuerit Francorum, et

A filius sancti Sigeberti, hætenus judicio nostro delinire non audeamus.

§ II. Monasteria extracta, dotata.

1. Monasteria duodecim extracta refert in Actis sancti Sigeberti auctor; quæ soli Ardennæ attribuit Gelenius; universim viginti extracta cum Gelenic volunt Molan., in Auctario Usuardi, Galesin. et Sauss., quorum verba supra dedimus. Brouwerus de iis, in sua Metropoli, necdum edita, ita scribit: «Anno 651, Sigebertus Austrasiorum rex Metis in sua regna, eximia vite innocentia ac præstanti in omne religiosorum genus liberalitate florebat, viginti amplitudine non vulgari conditis extractisque et vectigalibus perpetuis auctis passim monasteriis, in quibus Malmundarium et Stabulense in Ardennæ finibus, sancti Martini vero in Metensi suburbano fuere.» Hæc Brouwerus, sed reliqua monasteria nec ipse, nec alii nominant. De Metensi condito et destructo infra agemus. Ad vitam sancti Amandi, 6 Feb., referemus apud Austrasios, dum iis præseset rex sanctus Sigebertus, multa in Belgicis et Germanicis provinciis extracta esse monasteria, quæ hic omitimus recensere. Ante Stabulense et Malmundariense, aliud erectum est Casæconguduni in ducatu Luxemburgensi ad amnem Sesmarum seu Sesomirim, vulgo *Seamoy* aut *Semoy*, inter Chinium et Bullonium oppida: cuius posterioribus sæculis exstitit prioratus in pago Cougnon. De eo plurimum agemus 3 Feb., ad vitam sancti Hadelini. Damus infra (Col. 319, dipl. 1) diploma sancti Sigeberti nobis ab humanissimo viro Joanne Antonio Gounesio congregationis Oratorii presbytero communicatum, ex quo constat sanctum Remaculum abbatem constitutum esse, cum necdum esset episcopus Trajectensis, superstitè adhuc episcopo Metensi Godone, aliis Ddone, seu Godo, cui successit sanctus Clodulphus filius sancti Arnulphi, ad quem episcopus Remaculus primo anno sui episcopatus sanctum Trudonem misit. Hinc optime refellitur Bouchetus, qui, p. 1 Originum familiæ regis Francorum, cap. 6, tempus episcopatus Godonis numerat ab anno 659 ad 667, eique suffectum sanctum Clodulphum vixisse ad annum 707 arbitratur. Qui in diplomate præter Sesomirim nominatur Alsina fluvius, supra Luxemburgum exortus, urbem altius, et Atartomistus, aquam in Suram exonerat, ac dein in Mosellam delabitur. Silva autem Uricaise ad vicum Ures infra Bullonium pertingerit, aut potius Viracuisse legendum, et tum referretur ad vicinum Viram amnem. Illis ante expositis diploma facilius intelligetur.

2. Notgerus, episcopus Leodiensis, in Vita sancti Remaculi episcopi Trajectensis, 3 Sept., meminit alterius Vitæ ab auctore antiquiore et fere cœvo conscriptæ, de quo in prologo ad Werenfridum abbatem hæc scribit: «Obtulistis libellum de Vita tam nostri, quam vestri specialis patroni, domini, scilicet, Remaculi, conquestus propter incuriam tamen prædecessorum vestrorum brevius, quam ut res postularet pro magnitudine gestorum ejus esse eruditam; simulque visus es, ut ne dicam precari, sed potius exhortari, ut eam non modo exemplari, verum aliquanto lepidius mandarem poliri.» In hoc priori libello, seu Vita sancti Remaculi, de extractis monasteriis Stabulensi et Malmundariensi ita legitur: «Contigit, Deo favente, juberi a piis principibus regni Francorum Sigeberto rege, et Grimoaldo duce, ex voluntate Dei et consilio optimatum suorum, ut construerentur infra forestem monasteria, sita in pago qui Ardoenna dicitur, cognominata Stabulauus, sive Malmundarium, in quibus commanerent religiosi monachi, qui spiritualiter inibi Christo famularentur; et pro statu totius regni, et regis salute vel filiorum, sive curam regni exercebant, omnipotentem Dominum exorarent. Tunc cœperunt œdificare attentius, et, ut assolet in tali opere, virtus div. nã

subsecuta est, prosperoque successu velociter adimpleta sunt. Cumque adesset tempus ut ecclesiis nova materia ornatae dedicarentur, mittens praefatus rex ad beatum Remacium episcopum, quia alter eorum, id est, Stabulaus, ad ejus pertinebat diocesim; alterum vero, id est, Malmundarium, quia metropolim respiciebat, cum consensu Cuniberti, qui erat metropolitanus Agrippinae, evocavit eum, ut, sicut conveniebat ejus ministerio [Al., mysterio], eas dedicaret. Quod sanctissimus vir illico obaudiens, cum magna diligentia explevit opus sibi injunctum, quod ejus dispositione dudum fuerat actum; quia, cum esset regi ac primis palatii propter maximam sanctitatem vicinus ac amatus, nihil praecipuum absque ejus consensu fiebat. Unde factum est, quia tam charus eis habebatur, ut missarum peractis solemniis, traderet ei praedicta loca jam dictus major domus Grimoaldus, sua (a) ditione cuncta ordinari, et monasticae vitae instituta isthic servari. Post non multum vero temporis impetravit tandem a rege, quatenus relinquens successorem post se in sede pontificali, ut diu desiderabat, hunc eremi locum adiret, et ibi ab hominibus remotus soli Deo vacaret.... Manens itaque pervigili cura, absque ulla reprehensione, in monasticis documentis, multos nobilium virorum animos convertit, ut imitatores fierent illius vitae, cujus erat doc-

trina perfecta: quia, quod ore docebat, prius opere adimplere curabat. Unde factum est ut crescente religione cresceret etiam census ejusdem ecclesiae, in usus ibidem servorum Dei famulantium. Nam audientes cultum hujusmodi religionis jam dicti piissimi principes, evocantes beatum virum, tradiderunt ei ex ipsa foreste duodecim leucas in longitudine, similiter et in latitudine, in quo spatio nullus contradictor existeret suae ditioni vel succedentium ei, ut quiete Deo militarent. Nec non affirmarunt testamento (cum signaculis imperialibus, ut stabile illud omni tempore duraret: quod Pater sanctissimus suscepit libenter ac tenuit reverenter. Verum non multo post ipsum spatium abbreviare studuit, ut sine impedimento fieret sequacibus, et sine ullo obstaculo rectores loci possent servare, quod ad nostrum usque tempus inconvulsum durare videtur omnino.) Haec ibi. Sunt vero monasteria Stabuletum et Malmundarium dissita Leolio octo fere leucis horariis, qua versus Orientem et Treviros abitur. Exstrui utrumque coeptum circa annum Christi 655, qui erat episcopatus sancti Remacii sextus; diplomata vero concessa sunt sub finem vitae ejusdem regis Sigeberti. Horum partem profert Notgerus in Vita sancti Remacii. Haec diplomata damus infra.

(a) Al., ditione; forte jurisdictione.

PROLEGOMENA

AD SANCTI SIGEBERTI DIPLOMATA.

(Breuigny Diplomata, Chartae, Leges, tom. II.)

Quatuor supersunt a Sigeberto II emissa instrumenta legitima, spurium unum.

§ 1. Diplomata sincera.

1. Primum omnium Sigeberti diploma sub indiculi nomine concipitur, proprie praecipuum sub epistolae forma. Magni certe momenti est indiculus ille, saepius recusus, quo constat in regno Francorum a monarchie primordiis receptum esse ut non liceret episcopis, absque licentia regum, interesse concilii in alieno regno celebratis. Dirigitur a Sigeberto ad Desiderium, episcopum Caturcensem. Nullas habet notas chronologicas, sed spectat ad concilium Cabillosense, quod, juxta Cointium, Annal. t. III, pag. 182, anno 644 celebratum est in ditione Clodovei.

2. Non tanti momenti est, et tamen pluries recusum, diploma secundum Sigeberti II, quo Casagonguidinense monasterium condit. Deficientibus notis chronologicis, hoc instrumentum anno 644 cum Hontemio, Hist. Trev. dipl. t. I, pag. 80, assignavimus, contra Cointium, in Annal. t. III, pag. 191, et Mabilonii, in Annal. Bened. t. I, pag. 405, sententiam. Sic opinionem nostram astruimus. Remacius hoc diplomate Casagonguidinensi monasterio praeficitur, qui fuit renuntiatus episcopus anno 648, ut videre est apud Mabill. Annal. Bened. t. I, pag. 403; et apud Marten., Amplias. collect. t. I, pag. 2, et observ. praef. Verum, antequam infulas episcopales assequeretur, abbas Stabulensis evaserat, teste Nova Gall. Chr. pag. 699, t. III, et tribus annis jam rexerat monasterium Casagonguidinense; hoc igitur monasterium ante annum 644 conditum fuisse dicendum est. Nec multo post id factum fuit; mentio enim in diplomate ipso fit Godonis episcopi, scilicet, Metensis, qui circa annum 643 in episcopum electus est, ut videre est in Nov. Gall. Christ. t. XIII, pag. 699. De caetero, simplicissima forma et vere antiqua conceptum est diploma, et cum historia optime convenit. Vide Gesta Dagob., c. 31, Fredeg. c. 87, Vitasque

sancti Sigeb., sancti Remacii, etc. Nec mirum quod subscriptiones et notae chronologicae deficiant, cum nonnisi ex apographis desumptum sit; mos enim exscriptorum frequens fuit talia, quasi supervacanea, reserandi.

3. Idem Remacius, Stabulensis abbas et Malmundariensis, obtinuit partem silvae Arduennae. Sigeberti diplomate tertio, notis chronologicis destituito, quod apud Martenium, Amplias. collect. t. II, col. 6, et alibi, reperias. Id non emissum fuit post annum 648, quo episcopus evasit Remacius, solo abbatis titulo in diplomate insignitus; nec ante hunc ipsum annum 648, quo Virdunenses infulas consecutus est Gislocardus, qui inter episcopos in eodem diplomate memoratur. Cointius, Annal. t. III, pag. 361, tamen annum 643 huic instrumento assignat, et ideo, pro titulo abbatis non insignitur Remacius, titulum episcopi jubet reponere, conjectura quam nulla satis tuetur argumentatio. Sed eidem Cointio suffragamur, cum titulum archiepiscopi emendat, Coloniensi praesuli, contra morem hujus aetatis, inditum. Hunc titulum episcopi titulo ab exscriptoribus sequioris aevi substitutum fuisse credi potest, in diplomate cujus exemplum authenticum nullibi, quod sciamus, hodie comparet. Donum a Sigeberto impetratum, a Childerico II confirmatum quidem fuit alio diplomate, sed ad mediam partem redactum.

4. Remacius, postquam episcopi titulum assecutus fuit, monasteriis Stabulensi et Malmundariensi praeesse non desiit, episcopus absque dioecesi, quod tunc non insolitum. Hinc appellatus episcopus et abbas in diplomate quarto, quo Sigebertus his monasteriis dona confert, anno, scilicet, regni sui 14; sic enim Sigebertus; « Ut, dum ad legitimam pervenimus aetatem, cessiones.... quas serenitas nostra concesserat, deinceps, hoc est anno 14 regni nostri, debeant... stabiles esse. » Hic autem annus vel ab anno 652, ab initio regni in Austrasia, vivente patre, repeti potest, vel ab anno 658, quo haereditario jure.